diverſimodè uſurpentur. Non parum laboris impendi, ut ad breviorem normam ipſum reducerem expurgando a ſuperfluis, uſitatiorique Sanctæ Eccleſiæ Regulæ conformarem: addidi etiam in fine (ad placitum tamen poſtulantium) officia propria, ac noviter nobis conceſſa ad commodum præcipuè Novitiorum, ne plurium Librorum voluminibus indigeant; poterit etiam utile eſſe illis, qui vel dictis carent Officiis, vel, ſi velint ob commodum ſuis apponere Breviariis grandioris formæ ſeparatim a Cæremoniali; ſtudium denique adhibui, ut omnibus hoc opere juvarem quod & futurum ſpero; ſi a vobis lubenti animo exceptum pro viribus promoveatur, ejuſque ritus exactè obſerventur, ſicque ad noſtri Ordinis decus, & ad majorem Dei Cultum, ac Gloriam redundabit. Vale.

DE-